

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1090

Auteur(s) : Gilbert, délégué du pape, Bayeux (custos)

Bénéficiaire(s) : Robert de Ver, Bayeux (chanoine)

Bénéficiaire(s) : Jourdain, Vendes (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1206

Lieu d'émission : Bayeux

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Trois chanoines, délégués par le pape Innocent III dont la lettre est produite, tranchent une contestation entre le chanoine Robert de Ver et Jourdain, chanoine de Vendes, sur une maison sise à Bayeux, près de l'église Saint-Étienne, et que Robert de Ver tient du chapitre pour 2 sous angevins : le cens de cette maison est élevé à 6 sous tournois ; Robert donne 4 livres et 10 sous tournois à Jourdain qui reçoit du chapitre, pour lui et ses successeurs, une maison prébendale à Bayeux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCXCIX, t. 2, p. 19-21.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Gislebertus, custos, Johannes de Bello Monte, Ricardus Boistard, canonici Baiocenses, salutem in Domino. Ad universitatem vestram volumus pervenire nos mandatum domini papæ in hæc verba recepisse : Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gisleberti, custodi, Johanni de Bello Monte, Ricardo Boistard, canonicis Baiocensibus, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius Jordanus, canonicus Baiocensis, suam nobis obtulit quæstionem quod Robertus de Ver, canonicus Baiocensis, et quidam alii coram vobis expressius nominandi Baiocensis diocesis, super quadam mansura, possessionibus et rebus aliis injuriosi existunt admodum et molesti. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus, vocatis ad præsentiam vestram quos per hæc videritis evocandos, et rationibus hinc inde plenius auditis et cognitis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per eandem distractionem, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere, nullis litteris veritati et justiciæ præjudicium facientibus, si quæ fuerint a Sede Apostolica impetratæ. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, idibus decembris, pontificatus nostri anno octavo. Hujus igitur auctoritate mandati, partibus sæpius canonicè convocatis et in nostra præsentia constitutis, post aliquantas altercationes tota lis amicis tandem mediantibus in capitulo Baiocensi et in præsentia nostra sub hac forma pacis conquievit. Dicitur siquidem Robertus de Ver Jordano quatuor libras et decem solidos Turonenses dedit. Censum siquidem duorum solidorum

Andegavensium, quem de mansura sua quæ est juxta ecclesiam Sancti Stephani de Baiocis, inter vicum de Glatignie et mansuram Hugonis Bellai, capitulo Baiocensi reddebat, usque ad sex solidos Turonenses augmentavit reddendos capitulo annuatim de eadem mansura ab ipso Roberto, vel ab eo cui illam duxerit conferendam perpetuo sub hoc augmentato censu ad Pascha reddendo. Decanus autem et capitulum, attendentes quod quicquid in prædicta mansura habebant sibi per sollicitudinem et laborem ipsius Roberti fuerat acquisitum, prædicto Jordano mansuram quam Willelmus filius Clari tenuit de communia Baiocensi per quatuor solidos Turonenses, pro prædicta litte sopienda, postulante Roberto, contulerunt sæpedito Jordano et canonicis ipsi in præbendam de Vennes successuris. Ut igitur omnis occasio contendendi super dicta masura partibus in perpetuum præcidatur, præscriptam pacis formam scripto præsentis duximus commendandam, auctoritate apostolica qua fungimur, et sigillorum nostrorum appensionibus confirmandam. Anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo sexto.